

## DE POENITENTIA ADAMI.

timo si Adam fuit salvatus, credidit Joh. III. 16. Marci XVI. 16. Atqui Adamum fuisse salvatum constans Ecclesiæ fuit traditio. Tatianus solus ex professo id negavit. Adversus quem ita causam salutis Adami perorat Irenaeus lib. III. adversus Hæreses c. 34. 35. 39.

Huc est autem Adam, si oportet verum dicere, primiformis ille homo, de quo Scriptura ait dixisse Dominum; Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: nos autem omnes ex ipso; & quoniam sumus ex ipso, propterea quoque ipsius hereditavimus appellationem. Cum autem salvatur homo, oportet salvare eum, qui prior formatus est homo. Quoniam minus irrationabile est, illum quidem qui vehementer ab inimico Iesus erat, & prior captivitatem passus est dicere non eripi ab eo, qui vicerit inimicum, ereptos vero filios ejus, quos in eadem captivitate generavit: nec vicitus quidem adhuc parebit inimicus, ipsis veteribus spoliis manentibus apud eum. Quemadmodum si hostes expugnarent quosdam, & victos duxerint captivos, & multo tempore in servitute possederint eos, ita ut generent apud eos, & aliquis dolens probis qui servi facti sunt, eosdem hostes expugnet, non tamen justificiet, si filios quidem eorum, qui captivi ducti sunt, liberet de potestate eorum, qui in servitutem deduxerunt patres eorum, ipsos vero, qui captivitatem sustinuerunt, subjectos relinquat inimicis, propter quos & ultionem fecit consecutis libertatem filii ex causa paternæ vindicationis, sed non reliquis ipsis patribus, qui ipsam captivitatem sustinuerunt. Neque enim infirmus est Deus, neque injustus, qui opitulatus est homini, & in suam libertatem restauravit eum.

Propter hoc & in initio transgressionis Adæ, sicut enarrat Scriptura, non ipsum maledixit Adam, sed terram in operibus ejus, quemadmodum ex veteribus quidam ait; Quoniam quidem insulit Deus maledictum in terram, ut non perseveraret in homine. Condemnationem autem transgressionis accepit homo tedia & terrenum laborem, & manducare panem in sudore vultus sui, & converti in terram, ex qua adsumptus est. Similiter autem & mulier tedia & labores & gemitus & tristitias partus, & servitium. Id

eß,